Wieczorkowski Stanislai: Quaestio de possibilitate aeternitatis mundi.



QVÆSTIO
DE
POSSIBILITATE ÆTERNITATIS MVNDI.



A

M. STANISLAO WIECZORKOWSKI,
Ad disputandum in Alma Acad. Cracouień.
Regni Poloniæ Schola Generali publicè
PROPOSITA.

Lectorio DD. Theologorum, Mense Augusto.
Die 28. Hora 11. Anno 1643.

Permissu
MAGNIFICI D. RECTORIS.



l.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Christophori Schedelij.



Aurea Crux gentis ſplendet, ferrumq; rigeſcit
Hoſtes nam ferro, pro pietate fugat.



Illustrissimo & Magnifico Domino,

D. STANISLAO

A WITOW

WITOWSKI,

Castellano Sándomiriensi, Coualien.

Zuuolinen. Krzeceuien. &c. &c.

CAPITANEO.

Domino & Patrono Amplissimo.



Vam in publicam porrexi lucem quæstionem de Possibilitate æternitatis mundi, eam Tibi Illust. ac Magnif. Dńe Castellane, vt maiorem Tuis ab auspiciis áccipiát lucem offero, dedicoq́; Te enim non solum in

Ly-

Lycæo doctissimi viri Mecænatem, sed etiam in Sarmatico Areopago, omnes bonarum partium & artiũ Ciues grauissimum fátentur & ágnoscunt Senatorem. Crux equidem soleata, antiquissimæ gentis Tuæ decus, in omnes pártes rádios spárgit meritorũ; Solea porrò fortitudinem bellicam, & infractum rebus in agendis animũ contestatur. Nimirum, Illustrissime Heros, ad Maiorum laudes Tuorum, eximias etiam Tuas virtutes adiecisti. Nec immeritò, nam ex bonis literis, omniq; genere disciplinarũ purũ illum & illibatum exprõpsisti cãdorem, cuius gustum, nonnisi aureæ, id est, Heroicæ animæ (secundum diuini Platonis sententiam) habere possunt. Ex hoc fonte prománauit incredibilis ergá viros literatos humanitas, propensio, liberalitas, cæteræq; clarissimæ virtutes, quas grauissimi quique viri in Te suspiciũt, & admirantur. Et quis felicem Kochanouiæ gentis genium in fundendis Carminibus, & docto pollice premendis non admiretur? Quippé nemo amænas ritè coluit Camænas, nisi qui hæreditario iure illarum patrimonium obtinuit: Nemo de eruditorum lucubrationibus rectum facere potuit iudicium, nisi qui eruditionẽ ex asse consecutus est. Téstantur & recognoscunt Comitia Tribunalitia, & amplissima quæque Subsellia, solidam Tuam rebus in agendis dexteritatem, expeditam in dubiis quibusq; negotiis discutiendis solertiam, flexanimam in dicendo eloquentiam, Cuius præsidio semper

in

in libero Regno liberi Ciues ad amplissimos honores promouentur. An verò huius boni in Te Illustris. Castellane non satis firmum extat argumentum; dum tantum tamq; sublimem in Republica honorem summâ cum dignitate hac in ætate sustines, quâ ad prensandos Magistratus quidam vix aditum habere potuerunt. Neq; huius felicitatis rerum humanarum quæ vocatur domina, est parens fortuna, sed omninò virtus, magniq; in Reipublicæ amphitheatro suscepti & exantlati labores. At legationes illæ ad Sacram Cæsaream Maiestatem institutæ, nonne Tibi gloriosæ, Orbi Christiano fuerunt fructuosæ? Enimuerò iuuit & promouit Te vbiq; illa quoq; Diuini cultus propagatrix pietas, quam in Xenodochia pauperum: Asceteria Religiosorum hominum liberalissimè effudisti. Deprædicabit Tuam beneficentiam Templum Iedlinense à primis initiis ac fundamentis magnificè erectum, nec minus munificè dotatum; Quod vt in propriô fundo firmiùs hæreat, maneatq;, vtq; liberius & liberalius eà in Ecclesia Diuinus cultus promoueatur, vigilantibusq; Pastoribus obfirmetur, ex Professoribus Academicis, quosdam àccersendos in animum induxisti. Quæ cum ita sint Illustris Castellane, hànc meàm Philosóphicàm velitationem, & quidquid in gratiam peràugusti honoris Tui litatur, vel òlim litabitur, Sereno vultu vt cæpisti, excipe, & me Tuum in obsequium promptis-

ſſimum Clientem ágnoſce, & patrocinio ámpliſſimo, tuere. Viue diutiſſimé, non minus Eccleſiæ, quám Patriæ Chariſſimæ, florentiſſimus. Dat. é Collegio Minori 26 Auguſti Anno 1643.

Illuſtriſſimæ ac Magnificæ D. Vræ.

obſeruantiſſimus

M. Staniſlaus Wieczorkowſky



QVÆSTIO
DE
POSSIBILITATE ÆTERNITATIS MVNDI.

V. Mundi in ſuo eſſe virtute naturalem excedente conſtituti, ab eadem conſeruationem habentis, nec vlla ſpecie rerum ad ſui integritatem requiſita carentis, productio æterna fuit poſsibilis nec ne?

Conclvsio I.

Mundus de facto in ſuo eſſe à virtute naturalem excedente, eſt conſtitutus.

Corollaria.

1. Rerum productio, ab ea quæ ſupponit Materiam, neceßariò eſt admittenda.

2. Productio hæc nomine proprio vocatur Creatio.

3. Creatio eſt actio infinita quo ad modum.

4. An Creatio Ariſtoteli fuerit cognita? problema eſto.

5. Falsò aßerunt nonnulli, quòd productionem mundi præceſſerit Materiæ primæ Creatio.

6. Mundi æternitas ab Ariſtotele demonſtratiuè non eſt probata.

Conclvsio II.

Mundus eadem virtute quâ creatus eſt, conſeruatur.

Corollaria.

1. Conſeruatio non inconuenienter dici poteſt Creationis Continuatio.

2. Licèt

2. Licèt ad Creationem non concurrat Causa secunda, ad conseruationem tamen rei concurrit

3. Res in Mundo & quo ad esse, & quo ad operari à Dei virtute dependent.

4. Necesse est dari prouidentiam Dei de omnibus, etiam quo ad esse indiuiduale.

5. Virtute Dei subtractâ, Mundus in nihilum verteretur.

6. Mundus ab extrinseco est corruptibilis.

CONCLVSIO III.

Mundus nulla specie possibili ad suã integritatem pertinente caret.

COROLLARIA.

1. Rerum Corporearum species multiplices in mundo inueniuntur.

2: Supra res corporeas, Incorporeæ ad mundi pertinent integritatem.

3. Extra mundum res aliæ de facto non dantur.

4. Mundus meritò nomen Vniuersi, obtinuit.

5. Inter mundi partes integrantes, ordinis concentus, inuenitur.

6. Mundus de facto est vnus; ac perfectus.

CONCLVSIO IV.

Mundi productio æterna, fuit possibilis.

COROLLARIA.

1. *Productio mundi ab æterno, nomen Creationis haberet.*

2. *Creationis & Conseruationis ad mundum ab æterno creatum esset ratio eadem.*

3. *Supposita mundi ab æterno creatione, in rebus mundum integrantibus esset idem ordo quem nunc habent.*

4. *In mundo ab æterno producto, non daretur aliquod instans temporis, in quo mundus fuisset productus.*

5. *Cum mundi æternitate staret in eius partibus actus admistus potentiæ.*

6. *Mundus ab æterno productus, esset secundùm quid infinitus.*



Sub felicibus auſpicijs

Admodum Reuerendi Patris, ac Magnifici Dñi,

IACOBI VSTIENSIS

S.Th. & I.V. Doctoris & Profeſſoris, Eccleſiarum Collegiatarum S. FLORIANI Clepardiæ, & S. GEORGII in arce Cuſtodis. Almæ Vniuerſitatis Cracouienſis

RECTORIS VIGILANTISSIMI.

